



**In Hoc Libello Pontificii Ora||toris continetur legatio, in
co[n]uentu Noremburgensi,|| Anno. M. D. xxij. inchoato,
sequenti vero finito ex-||posita, vna cum instructione ab
eodem legato|| ...**

**Hadrian <VI., Papst>
Noremburgæ, 1523**

VD16 K 320

48 De Impensis Immodicis, Qvae In ecclesiarum consecratione
insumuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65406)

inhonesta exerceant commercia, ac munia, sacerdotibus obeant indigna. Quæ res ansam subinde ministrat, vere ecclesiasticos, ac Christo sacros presbyteros floccipendendi, nihilicquæ faciendi, quæ illorum vita coram vniuerso populo offendiculis sit quæ refertissima. Interim a quibusdam episcopis sex corruptis testibus, ad hoc adhibitis, dignus ne sit sacerdotij munere, vel minus ordinandus, fides adhibetur, qui passim quoscumque indignissimos simulatis suis vocibus testantur dignos, adque hoc ministerium aptos ferunt & accommodos: licet non raro nullus personatorum illorum testium, ordinandum, vel de facie albus an ater sit, nouerit, conanturque ita Christianis sanctionibus, sub persona, fuce, atque fictitio tantum prætextu satisfacere.

DE IMPENSIS IMMODOICIS, QUAE IN ecclesiarum consecratione insumuntur.

48 Insuper quum ecclesias ac templa prætenuia quidem, deo dicant, sacrantque nonnulli suffraganeorum, subditos utcumque per se egestate laborantes, superfluis, minimeque necessarijs sumptibus onerant: neque hoc contenti, quin munera quoque, & illa quidem immodica, a misera plebecula exigant.

49 Item quum laici ecclesijs altaris donant ornamenta quaedam, necnon casulas, & similia, ac in dei honorem pecunias suas expendunt, nihilominus tamen Suffraganei exigunt, ut talia, priusquam ad altaris conuertantur usum, consecrentur, pro qua demum consecratione munera ac dona petuntur innumera. Quapropter æquum est, ut tales abusus deleantur, Et si Suffraganei frustra laborare nolint, ut vnicuique prælato aut plebano talia faciendi permittatur potestas.

QUEMADMODUM CEMITERIA NONNUNquam superflue, ac minime necessario consecrentur.

50 Demum si forte sine armis, pugnis tantum & capillis in cimiterio, duo, pluresue manus conferant, aut rixam habeant, ad sanguinis usque quantumuis modici effusionem, tum ad interdictorum.